THESES
PHILOSOPHICÆ,
Quas Auspice & Propitio
D. O. M.
Adolescentes, Magisterii Candidati,
In Academia Mareschaliana,
Die 21 Iulii, Anno 1637.

In publico Clarissimorum Philosophorum
Consessu propugnabunt, Ab aurora
ad meridiem.

PRÆSIDE IOANNE SETONO.

Ἐν τῷ ὅλῳ θέος, καὶ πᾶν ἐκείνω. Κινεῖ γαρ πως πάντα τὸ ἐν ἡμῖν θεῖον. λόγου δ' ἀρχὴ ὁ λογος, αλλα τι χρεῖττον. τι ὁμῦ ἂν χρεῖττον καὶ ἐπιστήμης εἴποι, πλὴν θέος.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

ABREDONIÆ,
Imprimebat Edwardus Rabanns, 1637.

Ampliſſimo viro. D. M. ALEXANDRO IAFFRAY, D. à Regiis Fontibus, Conſuli ABREDONENSI Prudentiſſimo, Communi, publicæ ſalutis Moderatori vigilantiſſimo,

Mæcenati ſuo Munificentiſſimo, omni obſequio, Colendiſſimo, dicat & conſecrat Candidati.

RVdem hunc, ingenioli noſtri partum (Ampliſſime Conſul, Mœcenas Munificentiſſime) tuæ Amplitudinis nomini dicare ſuadet & cogit nos, grata prioris quo nos noſtraſque Muſas tutatus es, patrocinii memoria, ſerium futuri deſiderium ac ſpes certa, eximiæque animi tui dotes, amoris Muſarum magnes, nimirum mentis vigor, prudentia, ſolertia, gravitas, obvia munificentia, eminens probitas, propenſæ pietatis æmula, aliæque virtutes, quarum prolixus hic extaret Catalogus, ſi epiſtolii ratio ferret, & cognatus tuus virtuti pudor non vetaret. Hæc tua in privato limata probitas, venerabiles ſtatim faſces merita eſt, a quo deinde dignitatis gradu, ob fidelem, diligentem & piam navatam Reip. operam, Senatus ABREDONENSIS, tuam Amplitudinem, è multis, communi

calculo & ſuffragio edecumatam, ad Conſularis eminentiæ culmen, autoritate regia munitus ſublimavit, in quo munere obeundo, animi tui candor, religionis ardor, diligentia & fides, cunctis patent. Huc accedit ſingularis modeſtia, cæterarum virtutum condimentum, rara in Præfecto virtus. Is autem animi tui eſt candor, ut nulla ſit pectoris cum vultu diſcordia, nullum mentis cum lingua certamen, nulla vultus cum geſtu lucta. Religionis ardorem teſtatur vita tua, quæ in eminente illo dignitatis faſtigio, quaſi in ſpecula conſtituta, cunctis eſt pietatis Magiſtra, & efficax, quod Univerſi publicè, ſinguli privatim imitentur, exemplum. Diligentia & fides hinc Patent, quod in tot negotiorum glomeramine, ſolam ſpectes quietem & ſecuritatem vniverſorum, & omnes vigilias, curas, cogitationeſque in Reip. Salute defigas, quæ civitatis ſalus, propria vita charior, te irrequietum habet, aliis dormientibus excubas, feriantibus occuparis, omnium vacationes, tua cura; cunctorum, tua tuetur ſollicitudo, omnium invigilas commodis, ſpiritum, ſi opus eſſet impenſurus. Nihil tamen ex omni hac adminiſtratione ſibi ſeponit tua Amplitudo, nihil niſi laborem & curam aufert, utilitates publicas, ampliſſima omnium laborum præmia judicat, hæc illi uberrima ſunt compendia, hæc tua avaritia, hæc ſola gloria ſidum pectus urit. Hanc in Republica adminiſtranda fidelem

diligentiam teſtantur rationes publicæ, magnificus templi Academici, diligenter (operarum ſedulitate obtundimur) reparati apparatus, cœmeterium, pulchro conſpicuum pariete, magnificum quod extruitur prochogymnaſium, quorum alterum, impenſæ in DEUM pietatis, alterum, ſinceræ in homines charitatis, luculentum eſt teſtimonium. Harmonica horarum partitio, aurium ſimul oblectamentum, temporiſque compendium. Inclytæ noſtræ Academiæ januam prætervectus, horam, Solem contemplando, Aſtrologus conjectare prius poterat, quam illuſtris nunc, ampli horologii index, plateæ gloria, cuilibet tranſeunti aperte deſignat. Hæc (multa prudentes tacemus) levia ſunt tui Conſulatus rudimenta, majorum operum præludia, & futurorum nucleorum putamina. Scite Divinus Plato, felicem tunc fore Remp. affirmat, cum Reges Philoſophantur, aut Philoſophi regunt: feli x igitur ABREDONENSIS, te cõſule Reſp. qui ex ſanioris Philoſophiæ ſacris & adytis, præcepta ſalutaria depromere valeas, cuique DEUS, parem tanti muneris moli ſapientiam, lectique Conſilii fontem largitus eſt, unde pia Senatusconſulta dimanent. Tuæ Amplitudinis ſalus, Reip. magis & noſtra, quam tua intereſt. Veras, ſpectatæ virtutis laudes recenſere, non eſt auribus dare. Ampliſſime Conſul, Chariſſime publicæ ſalutis Moderator, perge, nos, noſtraſque Muſas amare, fovere, tueri, qui om-

ni votorum nuncupatione, à DEO supplices deposcimus, ut tuam Amplitudinem salvam esse jubeat, tuoque Consulatui felicitatem, gratiam, & decus addere velit.

Amplitudini tuæ humillimè addicti.

ALEXANDER	CAMERARIVS,
ALEXANDER	GORDONIVS,
ALEXANDER	KETHEVS,
ANDREAS	FORRESTERVS,
DONALDVS	FRASERVS,
DVNCANVS	FORBESIVS,
GVLIELMVS	BVRNETVS,
HERICVS	THOMEVS,
HIERONEMVS	HVMFREDVS,
IACOBVS	WILLOCCVS,
IOANNES	FORBESIVS,
IOANNES	RHEDVS,
PATRICIVS	DVNÆVS,
PATRICIVS	STRACHANVS,
ROBERTVS	BARKERVS,
ROBERTVS	WATSONVS.
THOMAS	FRASERVS,

FINIS.

THESES LOGICAE.

Thesis I.

Ritam universalis, in materiale & formale divisionem, non nisi in sano sensu agnoscimus: cum ipsa universalitas seu forma, id est notio, per quam universale constituitur, & a qua denominatur, semper sit singularis, ab intellectu, objective tantum nequaquam dependens.

II. *Celebris est inter Dialecticos de Logica genere controversia: hic scientiam, ille artem statuit; utraque sententia per se, est falsa, conjuncta vera; est enim Logica, ars speculativa.*

III. *De Logica docente & utente, majore vocum contentione quam utilitate à multis certatur: paucis idcirco nos, ipsissimam veritatem subjiciemus: Logica docens, ab utente hoc non differt, quod illa, modi sciendi naturam doceat, hæc modum doceat & efficiat: nec est Logica utens, peculiaris quidam in quavis materia probabiliter disputandi habitus, sed ipse actus vel habitus aliarum scientiarum & facultatum.*

IV. *Laudabilis est saniorum Dialecticorum in verè Logica objecto indagando industria, qui flexuoso erroris tramite notato, & via ambagibus indicatis, regiam veritatis orbitam cunctis demon-*

ſtrantes, totale & adæquatum Logicæ objectum, non voces ut Nominales, nec res rationis Logicum ut Thomiſtæ (ſic ferunt.) ſed res mentiſque conceptus conſtituunt.

V. *Omne accidens Phyſicum, à ſubſtantia realiter diſtinctum, ſubjectum cui inhæreat nequaquam poſtulat, quomodo tritum illud ſit verum* accidentis eſſe eſt inesse *viderit lector. Hæc veritas, Heterodoxorum Jeſuitarum de accidentium ſine ſubjecto in Euchariſtia exiſtentia paradoxum nihil juvat.*

VI. *Individua de individuo prædicatio, non eſt identica ut opinantur quidam, ſed formalis & directa.*

VII. *Detur ne aliqua communis individui ratio, acriter inter Doctores certatur: affirmantium nobis arridet opinio.*

VIII. *Tota proprietatum collectio, quæ in uno individuo, in alio quoque reperitur. Legitimane igitur, vulgata individui definitio?*

IX. *Subſtantiæ nihil contrariatur.*

X. *Eadem omnium intenſionem & remiſſionem reſpuit.*

XI. *Ultima ſubſtantiæ proprietas, nimirum, contrariorum accidentium ſuſceptivitas, eſt ipſa ſubſtantia, & non aliquod ab ipſa diverſum accidens.*

XII. *Ratio quantitatis formalis, non in diviſibilitate, nec menſura activa aut paſſiva, nec in locali extenſione ſita eſt: omnis enim quantitatis expers res, horum accidentium particeps eſſe poteſt.*

XIII. *Nos, non tam autoritatum numerum quam rationum momenta expendentes, lineam, & ſuperficiem, à recta prædicamentali ſerio removemus.*

XIV. *Rerum ſpiritualium numerus, ut Angelorum, animarum, quantitas diſcreta non eſt.*

XV. *Nullum eſt (quærunt multi in ſcirpo nodum) in relato, à parte rei & citra mentis operationem, relationis fundamentum.*

XVI. *Nulla eſt creaturis ad creaturas relatio vera & realis.*

XVII. *Omnis relatio, cum tranſcendentalis tum prædicamentalis, eſt abſoluto accidentali, cum illa hoc præſupponat.*

XVIII. *Tertii generis relata ut vocant, in menſura fundata, non ſunt in relatorum categoria ut vere relata collocanda.*

XIX. *Ea eſt hodie diverſarum in Philoſophia opinionum probabilitas, ut quæ potiſſimum tenenda ſit ſententia, merito quiſpiam, niſi re diligentius penſitata, & exactiore adhibito examine dubitare poſſit. V. G. Categoriæ* habere *naturam, alii in modo quodam, ex eo quod res veſtiatur vel armetur reſultante ſitam putant: alii nihil eſſe aliud quam ipſam veſtem vel arma adjacentia, omni imodo contemptim exploſo affirmant. Quid nos tyrones, validis magnorum virorum in utramque partem argumentis tanquam ſtatibus jactati ſtatuere poſſumus? ut libere (utinam impune quoque) Philoſophemur, Categoriæ habere rationem formalem, geminum modum, alterum rei, alterum indumento ſuperadditum, & ab utroque à parte rei diverſum, poſtulare affirmamus.*

XX. *Licet orationum tempore, nullo tamen in tempore ſignificat.*

XXI. *De futurorum contingentium veritate quæſtio, cum dogmatis ambiguitate, tum autorum gravitate nobilis eſt, quorum nonnulli, determinatam futurorum contingentium veritatem, mordicus adeo tuentur, ut Philoſophorum principem Ariſtotelem, contrariæ ſententiæ patronum, grandioris & in Philoſophia & Theologia erroris arguant, (mortuum mordent leonem, qui leviſſimo vivi audito rugitu, trepidi aufugerent) quorum nos temeritate minime approbata, indeterminatam futurorum contingentium veritatem, præceptori patrocinantes, favente Numine propugnabimus.*

XXII. *Contraria, in nullo gradu, eidem ſubjecto ineſſe queunt. Vulgare idcirco illud, de contrariis remiſſis in eodem ſubjecto exiſtentibus proloquium; tritum magis quam verum judicamus.*

XXIII. *Veri diſcurſus ratio, plures realiter diſtinctas mentis operationes poſtulat.*

XXIV. *Imperfectus noſtet arguendi modus, & non ipſa diſcurrendi ratio, actionum intellectualium ſucceſſionem & morem exigit.*

XXV. *Duabuſne an tribus propoſitionibus conſtet ſyllogiſmus, haud recens eſt inter Dialecticos diſſidium. Ex duabus atque ex tribus propoſitionibus ſyllogiſmum fabricantes, aque aberrant, cum in omni legitimo ſyllogiſmo, quatuor ſint, à ſe invicem realiter diſtinctæ propoſitiones.*

XXVI. *Antiqua & acris fuit inter Dialecticos, de concluſione controverſia, ſitne aliqua ſyllogiſmi pars, ad ejuſdem rationem eſſentialem pertinens: res nobis adeo clara videtur, ut hac de re certantes, Andabatis, in tenebris dimicantibus, merito comparari poſſe judicemus: quam noſtram ſententiam, hac ſtabilimus demonſtratione: ſyllogiſmus eſt tertia mentis operatio: præmiſſæ non ſunt tertia mentis operatio. Ergo. &c.*

XXVII. *Dialectica & Metaphyſica ſyllogiſmorum principia; nimirum dici de omni, & de nullo. Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt idem inter ſe. In rebus humanis & finitis, & non in divinis & infinitis, V. G. Trinitatis myſterio, ſuam veritatem obtinere, devote & piè magis, quam erudite & ſcholaſticè affirmant non nulli; qui, re penitius penſitata, ſententiam forte mutarent.*

XXVIII. *Octo ſunt directi in prima figura concludendi modi, quorum unus, optimus & optatiſſimus hic eſt: Primogenitus Potentiſſimi Caroli, eſt magnæ hæres Britanniæ. at Carolus DEI gratia, eſt Primogenitus Potentiſſimi Caroli: Ergo. &c.*

XXIX. *Prima ſyllogiſmi propoſitio, Major: ſecunda, Minor vulgo ſed perperam & abuſivè nuncupatur: qui, arguendi calore invectus abuſus, corrigendus eſt. Sed prava inveterata jam conſuetudo, altas adeo egit radices, ut omnem penè emendationis ſpem præcidat.*

XXX. *Legitima eſt quarta figura, quam Galeno autori (hanc in ejus operibus inveniri opinionem negant multi) aſcribit Averroes: cujus modi ſunt: Barmaba, Calerem, Dimari, Firemo. In quorum duobus ultimis, medium, in Majori ſubjicitur, in*

in Minori prædicatur, niſi fœdum ſolœciſmum, congruentiæ Philoſophicæ antetenere libeat.

XXXI. *Quicquid eſt in præmiſſis, idem eſt realiter & formaliter in concluſione. Ergo medium ſ affirmamus.*

XXXII. *Debiliorem ſyllogiſmi partem, ſemper comitatur concluſio.*

XXXIII. *Præcognitio* Quod ſit, *haud minus* prædicato *quam* ſubjecto *convenit.*

XXXIV. *Demonſtrationem quæ ſit cauſa ſcientiæ, ſuſtulere Academici, nihil poſſe certò ſciri arbitrati: qui tamen dum nihil poſſe ſciri oſtendunt, aliquid ſe ſcire convincuntur. Plato ſcientiam admiſit, omni demonſtrationis utilitate negata, quod ſcientiæ nobis ſint ingenitæ & mentibus penitus infixæ, adeoque quod noſtrum ſcire, ſit ſolum quoddam reminiſci. His horum doctorum ſententiis repudiatis, veram præceptoris Ariſtotelis ſententiam amplexi, demonſtrationis quæ ſcientiam pariat utilitatem, & neceſſitatem agnoſcimus.*

XXXV. *Ad ſecundum modum prædicandi per ſe, pertinent primus, tertius & quartus proprii prædicabilis modi.*

XXXVI. *Rectitudo de linea, de numero paritas, Grammatica de homine, pari neceſſitate prædicantur, ac de igne calor, quantitas de materia.*

XXXVII. *Ignis eſt calidus, ſol eſt lucidus, ad neutrum per ſe prædicandi modum pertinent, licet ſint propoſitiones neceſſariæ.*

XXXVIII. *Nec actualis nec poſſibilis, ſubjecti demonſtrationis exiſtentia, neceſſariò, præcognoſcitur.*

XXXIX. *Accuratæ, ex propoſitionibus contingentibus (nullæ ex probabilibus) demonſtrationes fiunt.*

XL. *Nec minus recta & firma eſt, ex ſingularibus, demonſtrationis fabrica.*

XLI. *Perfecta de ſingularibus corruptibilibus, ſcientia, ex præmiſſis ſingularibus contingentibus, per optimam demonſtrationem acquiri poteſt.*

XLII. Nos non opinemur, non credimus, ſed evidentia Phyſica ſcimus (nunquam vidimus) eſſe Londinum.

XLIII. Opinio falſa, laudi; vera vituperio quandoque digna eſt. Noſtram non eſt mendacii patrocinium.

IV. Firmiſſimæ dantur de puro puto nihilo, per merum nihil demonſtrationes.

XLV. Eſſentiæ, non eſt in indiviſibili poſitâ, ſed intenditur & remittitur, magis recipit & minus.

XLVI. In communi illo ſcholæ effato: Magis & minus non variant ſpeciem, erroris vetuſtatem notamus.

XLVII. Omne riſibile eſt bonum: quoddam brutum eſt riſibile: Ergo quoddam brutum eſt bonum. Majori vulgus, Minori nos, Concluſioni patrocinantur nemo.

THESES ETHICAE.

Thesis I.

Legitima eſt hæc potentiæ liberæ definitio: quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt operari & non operari:

ij. Nemo libere patitur.

iij. Situs actio libera eo quo exercetur inſtanti, in ſenſu compoſito & ex hypotheſi quod ſit, difficultate non caret. Affirmativa ſententia adeo nobis arridet, ut contrariæ, improbabilitatis notam, à ſenioribus Philoſophis merito inuſtam arbitremur. Qui enim aliqui-

lioqui potentia libera, in actu ſecundo per actionem liberi agentis conſtituetur cum actio libera, alio quam quo exercetur inſtante nihil ſit.

iv. *Libertas in actu primo, eſt ipſa voluntas, non aliquod voluntati innatum, additumve accidens.*

v. *Actualis voluntatis libertas, non in judicio indifferenti, potentiam, vi repreſentati objecti non determinante, ſed in voluntatis actione, quam præſuppoſito judicio exercet, poſita eſt.*

vj. *Libertatem, actui libero intrinſecam & eſſentialem eſſe, haud pauci acriter contendunt, cujus ſententiæ infirmo fundamento deprehenſo, libertatem, actui accidentalem & denominationem tantum extrinſecam eſſe nemur.*

vij. *Liberum & morale, non æque late patent, cum ſint liberi multi, minime morales actus.*

viij. *Omnis Phyſica prædeterminatio, per qualitatem ad operandum neceſſario prærequiſitam, quæque in noſtra non ſit poteſtate, voluntatis libertatem deſtruit.*

ix. *Determinant intellectus imperium, voluntatis libertatem perimit: voluntas idcirco, practico intellectus judicio, neceſſariò non obtemperat, ſed ſive duo ab intellectu objecta æqualiter proponantur, ſive inæqualiter, altero efficacius, altero minus efficaciter repræſentato, ſe, in quam mavult partem, minus, aut magis, aut æqualiter repræſentatam liberrima domina flectit.*

x. *Eandem libertatem labefactat, omne efficax, voluntati neceſſitatem inferens decretum.*

xj. *Prædefinitio, ſcientiam mediam ſupponens, voluntatis libertati non obeſt.*

xij. *Mali moralis ratio, non in privatione, ſed entitate poſitiva poſita eſt, ſiquidem actui, omni privatione ſublata, ſua inest malitia moralis.*

xiij. *Idem voluntatis actus elicitus, bonus & malus ſucceſſive eſſe nequit.*

xiiij. *Internus & elicitus voluntatis actus, in bonum & malum eſſentialiter dividitur.*

Omnes

xv. *Omnes habitus morales, ſunt qualitates poſitivæ, adeoque boni.*

xvj. *Omnes ethnicorum virtutes, ſplendida fuere peccata, actuſque pravi.*

xvij. *Eſſe morale, nullum addit voluntatis actui modum realem, qui ipſum intrinſecus afficiat.*

xviij *Hoc eſſe morale, non eſt relatio ad rectam rationem vel legem, tanquam actus voluntatis regulam.*

xix. *Hæc moralitas, ſolam denominationem extrinſecam, à ratione advertente & libere operante voluntate deſumptam, voluntatis actui addit.*

xx. *Cognitio practica, non poſtulat exequendi potentiam, quoad ſpecificationem & exercitium liberam, erroriſque periculo obnoxiam, quam idcirco determinet & dirigat.*

xxj. *Omnis, in rebus conditis, mentis operatio, eſt propriè dicta praxis.*

xxij. *Dantur actus in individuo indifferentes, omnis boni malique expertes.*

xxiij *Non potuit homo, in puræ naturæ ſtatu, cum appetitus ſenſitivi & rationalis repugnantia & contrarietate conditi: illi enim ſtatui connaturale eſt, ſuperioris in inferiorem appetitum, imperium.*

THESES PHYSICÆ.

Thesis I.

Exemplaris (ſubſtantive) in mente artificis idea, non eſt cauſa exemplaris, artificem ad opus efficiendum dirigens, ſed intuitivus & ſpeculativus ejuſdem actus.

ij. *Cauſa exemplaris, ratione artificis, cauſa formalis, reſpectu effectus, efficiens cenſetur: atqui, cum nullum ejus influxum*

animadvertamus; neque artificis potentia, ullius causæ consortio ad operandum indigeat, quî effective concurrat non assequimur.

iij. *Tres tantum sunt causæ Physicæ & reales: materia, forma, & efficiens. Causam finalem, cum nullum Physicum & realem in effectum, influxum habeat, ex causarum Physicarum numero delendam censemus.*

iv. *Limpidissimum Philosophiæ fontem fœdo commentationũ cœno, impuri ita polluerunt Iesuitæ, ac venenato impudentissimi & immundissimi sui oris halitu ita inquinarunt, ut nisi docti palati nemo, quicquam inde, citra Præsens erroris periculum hauserit: ad impios enim suos errores stabiliendos, idem numero corpus, plura simul loca occupare posse, & in uno loco calidum, in alio frigidum, hic vivum, Romæ mortuum esse non repugnare, fidenter & impudenter affirmare minime erubescunt. Rectius Papicolarum alii, a fratribus dissidentes, quantitativam, (ergo indivisibilem inquit Suarez) individui corporis in pluribus simul locis præsentiam, corporis naturam planè evertere contendunt, quorum nos exosculamur sententiam. Nemo hunc Pontificiorum consensum miretur, quippe quos, Divinus Romani Pontificis ut capitis, in ipsos ut membra influxus, ab omni errore & dissidio immunes præstet.*

v. *Universi perfectionem, ethnici, verborum lenociniis ornent, ejusdem nos Christiani imperfectionem, plorantes agnossimus.*

vj. *Unum individuum corpus naturale, uno tantum motu locali simul & semel moveri, est naturaliter impossibile, sed duplici, necessariò, motu locali simul, perpetuò movetur. Minus idcirco accurata hic (non censemus) Philosophantium oratio, imperitis fit causa erroris.*

vij. *Solas in generante qualitates, ad formæ substantialis de materiæ potentia eductionem effective concurrere, hactenus arbitrati, accidentia in passo, formam substantialem effective attingere affirmantium sententiam, delira anicula quam*

acuto Philoſopho dignioribus cenſuimus; quam tamen jam ſententiam, priori repudiata, noſtraq; temeritate damnata, explodimus & exoſculamur.

viij. Generationis definitio: (mutatio totius in totum, nullo ſenſibili manente ut ſubjecto eodem) formæ de potentia materiæ eductionem nequaquam convenit. Suarezii diſſidentis autoritatem contemnimus, rationes elumbes cenſemus.

ix. Omne compoſitum materiale (excipe hominem) duas generationes ſubſtantiales, formæ nimirum, modis aptioni, ad ſui productionem neceſſarió poſtulat.

x. Corruptio, propriè & formaliter ſumpta, eſt generationis ſuſpenſio ſeu extremis in eo inſtanti, in quo verum eſt dicere: unum non eſt generatio, & immediate cum fuit.

xj. Forma ſubſtantiales materiales, è materia, et accidentia è ſuo ſeparata ſubjecto, non annihilantur: in potentiam materiæ unde fuere eductæ redire vulgò dicuntur. Verba animus, rem ipſam, accuratæ opponentium indaginì relinquimus.

xij. Univerſa fere Thomiſtarum familia, ariſtotelis ſua veritate (ut ſibi videtur) nixa, fieri in corruptione reſolutionem uſque ad materiam primam, nullo accidente in genito quod præfuit in corrupto, manente affirmat, cui ſententiæ, ratio non ſuffragatur, et refragatur experientia: videmus enim in homine vivo et mortuo eandem cicatricem, eandem figuram et colorem. Adhæc, quo dentium duritiei, earum tunicæ, aurium tympana, naſi carunculæ mamillares fiunt? manet igitur eadem numero, in genito et corrupto quantitas, totaque, per quam Paulatim, agent, toti compoſito interitum moliebatur diſpoſitio, quibus corruptis alia producere ſimilia, jocus eſſet, naturæ luſitantis, non ſeriæ opus.

xiij. Trita jam eſt multorum Philoſophantium opinio, ignem effective, formam ſubſtantialem formaliter aquam V. G. ejuſdem formæ ſubſtantiali expulſa, corrumpere. Non ingenue fatemur, arduam et obſcuram adeo, compoſiti corruptionem nobis videri, ut nulla, in rebus conditis, corruptionis

cauſa

cauſa effectiva (nec defectiva) invenia, ad primam cauſam confugere cogamur, à quæ ſola compoſita extruuntur: formarum ſubſtantialium in eadem materia incompoſſibilitatem audimus, qui tamen forma formam, citra ullam in materiam aut formam actionem expellat, noſtri ingenii tarditas non aſſequitur.

XIV. *Accretio, motum localem non includit, cum illa motu alterativo, hic ſit ſucceſſivus.*

XV. *Ravius, juniores nonnullos, nutritionem inſtantaneam admittere minatur, luculenta adeo ut ipſi videtur ratione pro contraria ſententia militante. Reorum acuto alias ingenio Philoſophum, hic laſſum veramur, cum omnis nutritio, non ſucceſſiva ſed diverſo ex modo quodam in inſtanti fiat.*

XVI. *Pulchra eſt Philoſophorum ſpeculatio, inſluatne anima immediate in actiones vitales, an ſola inertia et ociosa animæ potentia operetur. Feriatur in Thomiſtarum ſchola anima, ſola operante potentia: quæ ipſorum opinio, geminum nobis ſcrupulum injicit: alterum, qui anima, omni operandi virtute & libertate deſtituta, peccati macula inquinari poſſit. Alterum, quo facto voluntas, potentia cæca, haud magis intellectus cognitione, quam lapis molaris illuſtrata, non in incognitum ſemper feratur. Ut gemina hac nos difficultate expediamus, immediatum animæ in actiones vitales influxum, & volendi principium, non cæcum, ſed aque ac eſt ipſe intellectus oculatum, & perſpicax ſtatuimus.*

XVII. *Acris de actionum vitalitate mortalium contentio, denſis contrariarum opinionum nebulis, veritatem adeo obſcuravit, ut nullam pene nos actionem vitalem hac de re elicere potuerimus: quam tamen quaſi per nubem vidimus veritatem, paucis, brevitatis ſi dioſi ſic exprimimus: eſt actio vitalis, actio per ſe immanens.*

XVIII. *Vivens in actu primo, eſt principium operationis vitalis formaliter: in actu ſecundo vivens, (rectius vita) eſt*

ipſa

ipsa actualis operatio vitalis.

xix. *In actu primo vivens, aliud est substantiale, accidentale aliud. Substantiale est primum operationum principium, ut homo, leo, &c. Accidentale, est principium per quod substantia actum vitalem producit.*

xx. *Nullus habitus, est actionis vitalis principium.*

xxj. *Cognoscendi & appetendi potentiæ, sunt principia vitalia accidentalia.*

xxij. *Species intentionales seu impressæ, principiis vitalibus accensendæ non sunt.*

23. *Nullam, potentiæ loco motivæ, vitalitatem tribuendam censem?*

xxiij. *Omne visibile, non minus vero, proprio ac reali, à luce & lumine, non sola ratione sed revera distincto colore tinctum est, quam vinum, lac, sanguis, gramen: unde, verum, proprium, ac realem, soli, lunæ, cæteris que astris in esse colorem concludimus.*

xxiv. *Acutissima, in meridiano sole nullis obscurato nebulis, oculorum acie defixa, in toto corpore solari, lucis defectum (accuratam opacitatis & tenebrarum distinctionem hic non moramur) non Lynci sed noctuæ sensilem notavimus, quod aspectu sine fallacia aliqua, an ita in rei veritate evenerit, exactiore instituto examine scrutetur opponens, cui pretium fuerit, inventæ veritatis gloria.*

THESES METAPHYSICÆ.

THESIS I.

NVm prima causa, in omnem secunda causæ operationem immediate influat, dubia adeo & perplexa est quæstio, ut in ea enodanda, magna ingenia laborent: qui doctos maxime solicitat scrupulus, est primæ causæ, ad pravas actiones concurrentis innocentia patrocinandi difficultas, quem peritus scru-

pulum facile eximet. Nos, primam cauſam, non ſolum ad ſubſtantiæ, ejuſque facultatum omnium conſervationem, ſed & ad ſingulas quoque ejuſdem operationes, influxum effectivo immediato concurrere affirmamus. Contrariam Durandi ſententiam, ut duram & erroneam, à ſanioribus Philoſophis meritò damnari cenſemus.

ij. *Subſiſtentiæ à natura diſtinctio, quam priſci ignorarunt Philoſophi, utpote extra naturalis luminis ſphæram poſitam, ex ſola revelatione innoteſcit: quæ non eſt rationis, ſed realis, & omnem mentis operationem antecedens.*

iij. *Subſiſtentiæ effectus formalis, in eo non eſt poſitus, ut ſubſtantiam, à ſubjecto aut materia independentem reddat.*

iv. *Eadem eſt numero ac individua, verum diverſarum completarum ac finitarum ſubſiſtentia.*

v. *Unam numero, in toto compoſito ſubſiſtentiam ponunt quidam haud ignobiles Philoſophi, tritum illud: ſine urgente neceſſitate non eſſe multiplicanda entia, urgentes: duas nos ſingulis compoſitis naturalibus (excipimus CHRISTVM DEVM) ſubſiſtentias concedere non dubitamus.*

vj. *Licet operationes ſint ſuppoſitorum, ſitque ſubſiſtentia, naturæ complementum, nulla tamen ipſi in rebus creatis, tanquam principio effectivo, & in aliud influenti concedenda eſt activitas.*

vij. *Creatio non eſt in creatore ut ſubjecto, nullius enim ille formæ ſubſtantialis aut accidentalis capax eſt; nec in creatura, cum, illa nequeat eſſe creationis ſubjectum, eadem utpote poſterior. Cui ergo inhæret ſubjecto? diſquire.*

viij. *Scientiam mediam (multum hæc quæſtio in ſchola pulverem excitavit, necdum ſedatus tumultus.) poſſibilitas, utilitas, & neceſſitas confirmant; cujus oppugnatores, media veritatis via relicta, in devia præcipitia, unde facilis eſt in errorem lapſus, ruunt neceſſe eſt.*

FINIS.